



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Domi. Decimaqvinta Post Trinitatis, Evangelivm, Matth. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

DOMI. DECIMAQVINTA 72.  
POST TRINITATIS,  
EVANGELIVM,  
Matth. VI.

**N**emo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut uni adhaerebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestre quid manducetis, & quid bibatis, neque corpori uestro, quid induamini. Nonne anima plus est quæ esca, & corpus plus quæ uestimentum? Respicite uolatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater uester cœlestis pascit illa. Nonne uos multo pluris estis illis?

Quis autem uestrum sollicitus potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri. quomodo crescunt. Non laborant, neque nent. Dico autem uobis, quod nec Salomon in  
omni

## DOMINIC. DECIMAQVINTA

omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mititur. Deus sic uestit, non multo magis uos. modicæ fidei?

Nolite ergo solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater uester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis, Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei afflictio sua.

### SEPTEM SVNT PRÆ- cipui Loci.

- I. Reprehensio diffidentie humanæ.
- II. Doctrina de providentia.
- III. Præceptum quo ordine bona petenda, & querenda sint.
- IIII. Duplex sollicitudo, alia ex diffidentia, alia ex obeunda uocationis diligentia.

V. Sufficit

POST TRINITATIS 73

V. Sufficit diei afflictio sua. Cur quamlibet diem uocet afflictionem.

VI. Præceptum sapientissimum et utilissimum, ut in præsentia rectè faciamus, nec propter futuras incertas spes, aut metus, a regula discedamus, ut multi trepidantes nunc huc, nunc illuc, feruntur, & interdum in ea trepidatione iniustus consilijs utuntur, propter uanissimas spes. Contra hanc trepidationem dixit Psalm. 45. Vacante & uidete &c.

VII. Quod Deus uelit quæri bona corporis, & in his petendis exerceri fidem.

DE PRIMO.

PRIMVS locus est reprehensio humane diffidentie: ideo inquit, Ne sitis solliciti. Cū autem impossibile sit homines sanos periculis publicis & priuatis sine sollicitudine esse, satis apparet hanc consolationem prorsus extra & supra humanum captum positam esse. An Daniel sedens inter leones potest sine metu esse? Talis est autem re ipsa omnium uita. Diligenter autem considerandum est, similes sententias dissimilima ratione dici. Epicurei etiam prohibent sollicitudinem, uetant angi animis, ut apud Horatium,

k tium,

## DOMI. DECI. QVINTA

rum, Quid sit futurum cras, fuge quærere. Item  
dum loquimur, fugit inuida ætas, carpe diem,  
quam minimum credula postero. Sed hij, qui  
negant prouidentiam DEI, & fingunt omnia  
casu fieri, desperatione quadam iubent ex præ-  
sentibus rebus excerpere uoluptates, & de fu-  
turis non angere, ne molestias cumulent, præsertim  
cum nullo consilio futura regantur. Sed Euan-  
gelium longa alia ratione idem præceptum tra-  
dit. ne sitis solliciti, scilicet, hanc ipsam ob cau-  
sam, quia est prouidentia Dei. fide expectate bo-  
nos exitus, hac fide uincite angores, & fortiter  
seruite uocationi. Nec potest Epicurea ratio  
mederi animis, quia eo magis quærit homo sa-  
piens humana præsidia, si existimat non esse pro-  
uidentiam DEI, & satisfacere humana consilia.  
ideo se muniunt timidi amicis, opibus, factioni-  
bus, & uarijs modis. Non uult Achas esse sine  
præsidijs, quærit iniusta fœdera & coniunctio-  
nes Regum impiorum, Non uult Demades in eos  
casus incidere, in quos incidere Demosthe-  
nes, ideo regibus adulatur, & tamen à Cassan-  
dro interficitur. Et in uniuersum in toto gene-  
re humano sunt timiditates, trepidationes, an-  
gores, & desperationes, quia natura humana

POST TRINITATIS 74

non agnoscit prouidentiam DEI, & est sine fi-  
de. Hanc ignorationem DEI hoc loco taxari &  
accusari sciamus, & corrigere incipiamus. op-  
ponamus naturali dubitationi doctrinā de pro-  
uidentia DEI hic traditam.

DE SECVNDO.

\* **F**IDES hæc duo complectitur. & sustentari  
naturam à Deo, & præcipuè Ecclesiam  
Deo curæ esse, nos ipsos exaudiri, ali, defendi,  
muniri à DEO, etiamsi multa longè aliter eue-  
niunt, quam nos prospicimus. Vtile est autem in  
conspectu habere testimonia de utraq; parte, de  
naturæ sustentatione, & Ecclesiæ defensione. De  
utraq; re hic dicit. Alit uolucres etc. nonne uos  
meliores illis estis? Psalm. 103. de naturæ susten-  
tatione. Dante te escam colligent, Et de Ecclesiæ  
Psalm. 33. Non est inopia timentibus eum, &  
psalm. 36. In diebus famis saturabuntur, Item  
Psalm. 90. Angelis suis mandauit de te, ut cu-  
stodiant te in omnibus uijs tuis. Hûc addantur  
& exempla, mirabiliter aluntur & defenduntur  
Israelitæ in deserto. deniq; tota Ecclesiæ defen-  
sio, semper ab initio ad finem fuit & erit plena  
miraculorum, & si interim uult Deus sanctos

k 2 etiam

## DOMI. DECI. QVINTA

etiam afflictionib. exerceri, sed accedunt mirabiles liberationes.

Hanc doctrinam quia est extra rationem, pauci amplectuntur, sed maxima pars hominum ignara prouidentiae & fidei, manet in perpetuo metu & odio DEI. sed ubi fidei lumen in mente fulget, quod Deus curet, exaudiat, muniat, defendat, gubernet te, ibi est magnitudo animi, tranquillitas, & constantia consilij. Sicut ad Abraham dixit Deus. Ego sum protector tuus, quae uox ad totam Ecclesiam pertinet. Sed quia pleraq; eueniunt longè aliter, quam nos prospicimus, ideo multi diffidūt & deficiunt. sed Christus hic opponit ex ipsa natura exempla, quae ostendunt, usitate multa fieri in natura, sine humano consilio. Deus dat uitam nobis sine humano consilio, potest igitur & uestitum dare, & domum. Deus creat lac in maternis uberibus infanti sine humano consilio, igitur potest & postea uictum curare. Haec & similia multa exempla uult nos considerare, ut admoneamur de prouidentia. In Ecclesia autem infixam debet esse animis omnium haec uox. Scitote, quod mirificat Deus sanctos suos, id est, mirabilib. modis seruat.

DE

POST TRINITATIS. 75  
DE TERTIO.

Ordo sit quærendorum bonorum operum.

**P**RIMVS gradus est Deo obtemperare, & eius doctrinam, & mandatum anteferre vite nostræ, & omnibus commodis corporis, sicut faciebant tres illi, qui statuam regis Babylonici nolebant adorare. Hoc ordine seruato, uult Deus postea peti, & expectari bona corporis. & quidem ea promittit, sicut hic clare dicit. Primum quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Non enim uult Deus Ecclesiam prorsus deleri in terra. ideo sicut Paulo nauiganti seruaui nauim, ita passim seruat pijs domicilia, politias, hereditates, suppeditat uictum, defensionem, facultates, ut conseruari studia, & propagari doctrina Euangelij possint. Hæc intelligere pios conuenit, ut in precationibus cogitent, quare corporis bona petenda sint, scilicet, ne intereat Ecclesia, sicut orat Psalmus. Ne tradas bestijs animas confitentium tibi.

DE QVARTO.

Duplex est sollicitudo. alia diffidentie,  
alia est diligetia in faciēda uocatiōe.

k 3 PRIOR



## DOMI. DECI. QVINTA

**P**RIOR illa quæ ex diffidentia oritur, est cruciatus animi dubitantis de exitu, & destituti præsidij, & auxilijs. Sic angitur animus Saulis de belli exitu, quia non sperat auxilium à Deo, consulit Magos. Ita magna pars hominum angitur, quia non expectat auxiliũ à Deo, eamq; ob causam querit inconcessa præsidia, & auxilia. Hæc sollicitudo hic prohibetur.

Alia sollicitudo est cura faciendæ uocationis. ut Iosue, & si undiq; circumdatus est hostibus, tamen retinet animi constantiam, sperat bonos exitus, quia scit se uocatum à DEO, iuari & defendi à Deo, eoq; inuocat. Ideo Iosue ostendit se quispian ex cœlo, qui se ducem exercitus esse dicit. Interim tamen Iosue iustam diligentiam adhibet, distribuit copias, collocat in insidijs, dimicat fortiter cum hoste. sicut colono faciendum est, agri arandi & conscrendi, & tamen à DEO expectandus prouentus. Sit autem labor uocationis proprius, hunc requirit Deus, quia uult nos suæ uocationi parère, & hæc uirtus placet Deo, uidelicet sedulitas seu diligentia in uocatione. Habet autem utrinq; opposita uitia, ignauiam, & πολυπραγμοσύνη, quæ est multa conari, tentare extra uocationem, communire

POST TRINITATIS. 36

communire se factionibus, quærere præsidia, seu concessa, seu inconcessa. Amittit Sardanapalus regnum per ignauiam. Achas uero infœlix est propter ipsam πολυπραγμοσύνην. utrumq; enim uitium Deus detestatur. sed regula tenenda est, Psalm. 36. Subditus esto DEO, & ora eum. Et hic Christus de labore concionatur in- quiens, Sufficit diei afflictio sua, q. d. ne cumu- les tibi ipsi molestias, crucians animum diffiden- tia, sed contentus esto diurno labore, quem quo- tidie uocatio affert. hic in tanta naturæ huma- næ miseria, in tantis impedimentis, quæ diabolus & organa diaboli obijciunt, per sese satis habe- bit difficultatum, & ærumnarum. Moises dili- genter regit populum, sed quantum illi quotidie nouorum certaminum, tumultuum, seditio- num, excitant, nunc principes, nunc uulgus? Hæc de labore hoc loco considerentur.

DE QVINTO.

**S**UFFICIT diei afflictio sua. i. labor suus, Dixi enim de labore præcipi. Sed diligen- ter considerandum est, humanos labores, & hoc totum uitæ curriculum hic uocari afflictionē. Si natura humana non esset oppressa peccato, quid

k 4 esset

## D O M I. D E C I. Q V I N T A

esset iucundius generatione, educatione, cultura terræ, gubernatione, studijs doctrinæ? Nunc uero post peccatum omnia hæc officia à Deo ordinata impediuntur, tum naturæ imbecillitate, & malitia, tum a diabolo, tum ab organis diaboli. Sæpe matres & fœtus percunt in partu, educatio postea difficilima est. Sic gubernatio politica & ecclesiastica, quanta habet impedimenta? Diabolus undiq; machinatur dissipationes, & multi sunt impij homines, qui sunt ignaui in uocatione, sunt ambitiosi, liuidi, corrumpunt doctrinam, insidiantur bonis, excitant dissensiones. Ideo omnes historie plenæ sunt querelarum de miseris gubernationis, & exempla quotidiana sunt in conspectu. Propter hæc impedimenta Christus breui quidem uoce humanos labores uocauit afflictiones, sed uniuersam uitæ historiam complexus est. Simul autem admonet nos, ne ipsi quo modo cumulemus hæc impedimenta, sicut usitatum est inquieta ingenia subinde nouas turba excitare, & sibi, & alijs negocium facere, & simul impedire res meliores, ut Clodius Romæ gubernationem turbabat.

## D E S E X T O.

REVOCAT

## POST TRINITATIS. 77

**R**EVOCat nos Christus ad curam præsentium rerum, cum ait, Crastina dies curabit res suas. Sic & Pindarus laudens Hieronem, inter cæteras uirtutes hanc ei tribuit, sapienter curare præsentia. Ad hanc uirtutem pertinet, quod & Samuel inquit. I. Regum. II. Fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia Deus tecum est, id est, quæ in præsentia postulabit uocatio tua, et necessitas. usitatum est enim in uita, quod propter incertas spes, aut metus, homines præsentia corrumpunt, & admiscunt iniusta consilia. Sylla iubebat adolescentem Cæsarem interfici, quia olim uideretur futurus acer inimicus. Herodes iubebat pueros interfici, metuens regno. Aliquis metuens crescentem potentiã alterius, uult obijcere impedimenta, & quoquo modo eius uires carpere. Quoties amicicias ambiunt homines, etiam uitiosè, quibus illæ ipsæ amiciciæ afferunt exitium? ut Arato erat exitio amicicia Philippi Macedonis. Meminerimus ergo, in præsentia necessaria agenda esse, & ea tantum agenda esse, quæ bona conscientia fieri possunt, cætera Deo commendanda.

## DE SEPTIMO.

¶

5

Sæpe

## DOMI. DECI. QVINTA

**S**AEPE aliàs dictum est, Deum non solum pro  
mittere beneficia corporalia, sed etiam pre  
cipere, ut ea petamus. sicut testatur oratio Do  
minica, Panem nostrum quotidianum da nobis  
hodie. Sunt autem causæ tres. Prima, ut agno  
scamus dari à Deo etiam corporalia beneficia.  
dante te escam colligent &c. & corrigamus  
Epicureas opiniones, quæ somniant hæc bona uel  
casu obijci, uel ut ferunt tempestates. Secunda,  
ut fidem & inuocationem exerceamus in his pe  
tendis, quòd uidelicet Deo curæ sit etiam hæc  
uita corporalis, quòd eam custodiat, seruet, alat,  
quia uult in hac uita durare aliquam Ecclesiã.  
TERTIA, ut hæc ipsa inuocatio admoneat nos de  
promissione spiritali, quia non potest fieri in  
uocatio, sine agnitione misericordiæ, & media  
toris, per quem habemus accessum ad Deum.  
Ideo in oratione Dominica mox additur, & re  
mitte nobis debita nostra, sicut & nos remittia  
mus &c.

## DOMINICA DECIMA SE XTA POST TRINITA. EVANGELIUM LV. CAE SEPTIMO.

Et factum